

Wolfgangus Waldungus

‘Oedipus’

Tragoedia
(1596)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Dezember 2006

Personae

Oedipus	Nuncius
Cives lugentes	Polynices
Creon	Eteocles
Tiresias <cum puero>	Nuncius
Iocasta	Milites
Nuncius pastor	Ismene
Pastor	Haemon
Antigone	Eurydice

Argumentum

Dum morbus ingens atque pestilentia
Thebas diuturna occupavit, en, Creon
Ad Delphicam aedem missus est, ut disceret,
Quoniam modo cessare pestilentia
Posset. ibi vocem audivit a Deo editam,
Necem esse regis vindicandam Laii.
Hinc ubi rescisset Oedipus sese miser,
Quis esset, oculos manibus effodit suis.
Vbi Polynices, Oedipi alter filius,
In singulari occisus est certamine 5
Materque crudo ense periit, saevissimus
Mox inde rex Creon volucribus et feris
Abiici insepultum mandat illum, patriae
Quod intulisset impium bellum sua.
Quin civibusque edicit omnibus palam,
Ne quis sepeliat; quique fecisset secus,
Supplicium ei proponit ultimum. hunc tamen
Sepelire tentat altera Antigone soror.
Deprena praesens igitur a custodibus
Adducitur Creonti. is ira fervidus 10
Condemnat et vacuo sepulchro condidit.
Quod ubi Creontis gnatus Haemon audiit,
Desponsa cui fuerat, amore percitus
Nobilis et indignatione pectoris,
Semet iugulat ipsum ad sepulchrum virginis;
Haec insuper Creontis uxor perferens 15
Aegerrime Eurydice manus infert sibi.
20
25

Actus primus

Scena prima

Oedipus

Oed. Iam iam aliquid in nos fata moliri parant;
Nam quid rear, quod ista Cadmeae lues,
Infesta genti, strage iam late edita
Mihi parcit uni? cui reservamur malo
Inter ruinas urbis et semper novis 5
Deflenda lachrymis funera ac populi struem?
Pars nulla regni immunis exitio vacat,
Sed omnis aetas pariter et sexus ruit,
Iuvenesque senibus iungit et gnatis patres
Funesta pestis; una fax thalamos cremat, 10
Fletuque acerba funera et questu carent:
Quin ista tanti pertinax clades mali
Siccavit oculos; quodque in extremis solet,
Periere lachrymae. portat hunc aeger parens
Supremum ad ignem, mater hunc amens gerit 15
Properatque, ut alium regerat in eundem locum.
Quin luctu in ipso luctus exoritur novus,
Suaeque circa funus exequiae cadunt;
Tum propria flammis corpora alienis cremant.
Affusus aris supplices tendo manus, 20
Matura poscens fata, praecurram ut prior
Patriam ruentem neve post omnes cadam
Fiamque regni funus extreum mei.
O saeva nimium numina, o fatum grave!

Scena secunda

Oedipus, [Creon,] <Cives>

Oed. Sed filii, Cadmi vetusti principis 25
Proles nova, quid hoc mi sedetis in loco,
Ramos ferentes supplices? at civitas
Est plena thymiamatum atque cantuum

Pariterque gemituum. quae ego haud dignum ratus Annunciante quopiam cognoscere, Huc ipse veni, ille omnium sermonibus Celebratus Oedipus, sciam ut, quapropter huc Sederitis. an alicuius ob metum mali, Iniuriam an passi? volo etenim in omnibus Vobis opem ferre. essem enim durus nimis, Ad misericordiam moverer si minus Hac sessione supplici.	30
Civ. at o Oedipu,	
En, pestilentia irruens pessima Affligit urbem, tecta qua Cadmi omnia Vacuantur, et gemitibus atque luctibus Ditescit ater Pluto. non te nunc quidem Dis comparantes, ego, pueri et istae tuas Consedimus ad aras, sed eximum virum Te iudicantes vitae in huius cladibus Ferendum ad auxilium adque placandos Deos, Qui olim profectus urbem ad hanc nos solveris Durae a tributo Sphyngis illo, quod prius Dabamus; atque hoc monitus a nobis nihil Doctusve, verum ope atque consilio Dei. Hinc diceris et existimaris omnibus Nobis eo erexisse vitam tempore.	40
Nunc igitur, o Oedipidis optimum caput, Omnes rogamus te, cadentes ad tua Genua, aliquam nobis ut invenias opem, Alicuius audito vel oraclo Dei Vel ab homine edoctus aliquo. expertis enim Consilia maxime vides succedere Et efficaces consequi eventus fere. Ito igitur, o mortalium optime, erige	45
Vrbem. ito sollicitusque sis et prospice: En, terra servatorem ut haec te nominat! Propter priorem nempe promptitudinem Ita principatus neutquam posthac tui Meminisse poterimus, prius rectum in statum Abs te locati, si cadamus denique.	55
Sed consilio, age, cautiore urbem erige. Dextro et priorem namque fortunam alite Nobis dedisti: esto igitur et in praesentia Similis tui. nam terra in hac sic rex eris In posterum, sicut modo es: plenam viris Eam regere longe est quam inanem pulcrius;	60
Et turris etenim et navis est inutilis, Si nemo prorsus intus inhabitet virum.	65
	70

Oed.	O filii miseri, petitum nota mi Venistis, haud ignota. novi enim optime, Omnes quod aegrotetis. aegrotantium Sed nullus est, qui aegrotet aequa, ut ipse ego. Quod vos doletis etenim, ad unum provenit Duntaxat et non ad alium ullum, sed meus Animus et urbem meque teque simul gemit. Quapropter haud me dormientem suaviter Vnquam excitastis; neutiquam sed vos latet, Lachrymas in his fudisse me iam plurimas Viasque multas isse curis anxum. Quodque unicum considerando repperi Tandem remedium, id adhibui. nam filium Menocei, affinem meum, Creonta iam Ad Apollinis delubra misi Delphica, Vt sciscitur, quid iam agam dicamve, quo Hanc civitatem liberem et me omnesque vos.	75
Civ.	Huc advenire iam Creontem nunciant.	
Oed.	Vtinam Creon pariter salute quapiam Redeat reperta fronteque hilari.	
Civ.	coniici	
Oed.	Quantum quidem potest, hilaris et laetus est. Neque enim alioqui ita coronatus caput Lauri veniret frondibus.	90
Oed.	sciemus hoc	
	Statim. haud enim longius abest, audire quam Vt possit.	95

Scena tertia

Oedipus, Creon, <Cives>

Oed.	o rex, dulcis affinisque mi, Fili Menoecei, a Deo quod nuncium Nobis refers?	
Cre.	bonum. gravia enim quamlibet, Si modo probe curentur, aio prospera. Audire si vis, his prope assistentibus Narrabo prompte; sive ut intro eamus hinc?	100
Oed.	Coram omnibus dic. plus enim pro his lugeo Quam pro mea ipsius anima, salva ut siet.	105

Auferte ramos; alias autem quispiam
huc
Cadmi popellum congreget. namque omnia
Facturus ego sum. vel etenim Deo duce
Erimus beati vel cademus funditus.

150

Scena quarta

Chorus Civium

Civ. At Apollo, qui remisit haec oracula,
Servator adsit pariter et morbum auferat;
Pestis malique vindices
Nunc subvenite: siquidem
Vnquam priora etiam mala
Vrbem nimis prementia,
Nempe peregrinum incendium
Pepulistis, et nunc, o Dei,
Venite; nam mala perfero
Innumera: totus aeger est
Exercitus, nec suppetit
Vis mentis atque consilii,
Quonam mederi quis queat;
Nam turba non miserabilis
Prostrata funesto iacet
In campo, eamque luctibus
Haud curat ullus prosequi.
Super haec et ipsae coniuges
Canaeque matres ipsa apud
Altaria alibi aliae gemunt
Et supplicant ob tristia
Mala, resonatque clarissimus
Paean simulque lugubris
Clamor. proinde, o aurea
Laetoque vultu praedita
Filia Iovis, submitte opem.

155

160

165

170

175

Scena quinta

Oedipus, Cives

- Oed. Tu sedulo sane rogas, sed quae rogas,
 Facile obtinebis et malorum quodpiam
 Levamen, audire accipereque si velis
 Mea dicta, quae peregrinus equidem proloquar. 180
 Denuncio: quicunque vestrum novit, a
 Quonam homine Laëus ille gnatus Labdac
 Occisus est, hunc iubeo, significet mihi
 Omnia. necisque etiam autor si quis ipsus est 185
 Contraque se crimen veretur dicere,
 Ne metuat, aio. nil enim patietur is
 Aliud acerbi, quam incolumis ut exat
 E terra. at alium si quis autorem necis
 Scit externum, ne sileat. ipse enim lucrum 190
 Dabo, atque magnam inibit ille gratiam.
 Sin rursus autem tacuerit is, et quispiam,
 Metuens amico vel sibi ipsi, isthaec mea
 Dicta repulerit, audite, quid sim postea
 Facturus. hominem hunc, quisquis huius incola 195
 Terrae est, thronum cuius ego et imperium gero,
 Edico, ne quis recipiat domo neque
 Verbo alloquatur nec precationibus
 Deum cum eo nec victimis communicet;
 Malluvio in uno nec cum eo abluat manus. 200
 Eum sed omnes arceant ab aedibus,
 Vt qui piaculum siet nobis, uti
 Oraculum modo Pythicum ostendit mihi.
 Ast impiae, malum virum, qui caedis est
 Illius autor, execror, sive ille sit 205
 Vnus aliquis latuitque sive pluribus
 Comitatus est: ut male malus vitam exigat
 Communium expers iurium. quin et meae
 Domui imprecor, eam si incolit me conscio,
 Patiatur ut, quae sum imprecatus his modo. 210
 Et haec eis, qui, quae loquor, non fecerint,
 A Dis precor, ne terra messem illis ferat
 Vllam, mulieres neve gignant liberos,
 Sed morte praesenti vel hac pereant quoque
 Peiore. vobis porro Cadmaeis precor 215
 Aliis, quibuscunque haec placent, ut vos iuvet

	Iustitia et omnes semper adsint coelites Vobis propiti.	
Civ.	ut execratione me Rex obligasti, sic tibi respondeo: Nec enim peremi ipse nec eum, qui caedis est Auctor, queo indicare. verum ab Apolline, Qui tale nobis misit huc oraculum, Haec quaestio debebat explicarier Dicique, quis fecisset hoc homicidium.	220
Oed.	Recte quidem dixti; Deos sed cogere, Si non velint ipsi, haud hominum aliquis potest.	225
Civ.	Aruspicem sed nosse Tiresiam scio Maxime eadem; ex quo si quis haec requireret, Certissime inveniret.	
Oed.	atque neque hoc quidem Curare neglexi. siquidem ad illum duos Creonte sugerente misi nuncios Mirorque, cur non adsit olim.	230
Civ.	caetera Dicta siquidem sunt frigida ac inania.	
Oed.	Quaenam illa? nam considero dicta omnia.	
Civ.	Ab iter agentibus quibusdam dictus est Occisus.	235
Oed.	audivi et ego; sed qui viderit, Eum videt nemo.	
Civ.	at timoris si quid is Modo habet, ubi imprecaciones has tuas Audierit, haud morabitur se sistere.	
Oed.	Qui facinus atrox haud timet committere, Nullum ille propter verba concipit metum.	240
Civ.	At si negarit, est, qui eum redarguat: Hi namque vatem huc Dis parem adducunt modo, Cui vera soli nota sunt mortalium.	

Scena sexta

Oedipus, Tiresias <cum puerō>, <Cives>

Oed.	O cuncta qui consideras, Apollinis Non ipse quamvis nuncios audiveris, Remisit hoc oraculum rogantibus: Solutionem unam esse pestilentiae,	245
------	---	-----

	Si Laii regis peremptores bene Quaeramus ac necemus aut e patria In exilium agamus. proinde ne velis Celare nos, si quid per augurium tenes Aliamve divinationis habes viam. Et temet ipsum et civitatem libera, Me libera quoque, libera nos mortui Omni a piaculo. in te enim spes omnis est Nostra. hominibus prodesse enim, quantum queas Habeasque, labor est omnium pulcherrimus.	250
Tires.	Heu heu. sapere quam molestum est, nil ubi Sapiens capit commodi. etenim ego haec sciens bene Perii; venire quippe non huc debui. Sine me domum ire. facillime enim tu tuum Et ego meum feram malum, si me audias.	260
Oed.	Tu perdere urbem nosque prodere cogitas.	
Tires.	Vltro mala venient, tametsi ego tegam Silentio.	265
Oed.	proinde, quae ventura sunt, Ea te quoque mihi oportet dicere.	
Tires.	Praeconio, quod publicasti, dico te Ipsum tenerier. atque praesenti die Neque his neque mihi fas erit tecum loqui, Vt cum urbis huius impio piaculo.	270
Oed.	Quid? rursus eloquere?	
Tires.	peremptorem aio te Illius esse viri, invenire quem cupis.	
Oed.	At non loquere impune bis convicia.	
Tires.	Dicam igitur et alia, magis irascare uti.	275
Oed.	Quantum quidem vis, dixeris, sed inaniter.	
Tires.	Te nescientem dico cum charissimis Turpissimam fovere consuetudinem Et non videre, ubi sis malorum.	
Oed.	an tu putas Impune dicturum ista semper?	
Tires.	si quidem Superest aliquid in veritate virium.	280
Oed.	Superest quidem, sed non tibi. nam veritas Est nulla apud te, quoniam et ipsis auribus Et mente caecus es oculisque.	
Tires.	tu miser.	
Oed.	An est Creontis an tua haec inventio?	285
Tires.	Nil tibi Creon nocet, sed ipse tu tibi. Porro tibi dico, quoniam me opprobrio Caecum vocasti: tuque cernis, non tamen Vides, quibus verseris in malis neque	

	Vbi neque cum quibus habites. an ex quibus Oriundus sis, nosti? fugit te scilicet Hostem esse te tuorum, apud vel inferos Qui sunt vel in terra; petensque utrinque te Horrenda patris et matris execratio, Ex urbe tandem hac exigit, nunc te quidem Recte videntem, sed tenebris obrutum Deinde. quis clamore portus non tuo, Quis non Cithaeron tum sonabit, quum scies, Quas nuptias improsperas contraxeris?	290
Oed.	Non tu hinc is in malum crucem? an non ocyus?	300
Tires.	Abeo proinde; tuque me reduc, puer. Casibus et eventis tuis sed factus ex Vidente caecus, pauper ac ex divite, Terras obambulabis exteras, pedes Sumpto viamque scipione dirigens. Palam fiet nam, liberorum quod sies Frater tuorum et genitor, et matris tuae Quod filius nec non maritus; quin patris Pariter adulter et peremptor impius. Ingredere et haec exquire; sique prenderis Mendacium dixisse me, tum omnino nil Me sapere divinandi in arte dicito.	305
		310

Actus secundus

Scena prima

Creon, Cives

- Cre. Cives, ubi audivi, quod atroci palam
Sermone culpet me tyrannus Oedipus,
Adsum ferens aegerrime. nam si malis
In hisce se verbove vel facto putat
A me esse laesum, non ego cupio amplius
Hac cum mala fama agere vitam. non enim
Hic sermo contumeliam tantummodo
Vnam mihi, sed plurimas fert, siquidem
Malus vocabor civitati, ergaque te
Ergaque amicos civis. 315
- Civ. hoc quidem probrum
Dictum est, sed expressum mage ira forsitan
Quam mentis ex sententia.
- Cre. an dictum est ab hoc,
Persuasione augur quod adductus mea
Falsa loqueretur? 325
- Civ. haec quidem sic dicta sunt.

Scena secunda

Oedipus, Creon

- Oed. Heus tu, quid huc venisti? an hoc audacie
In fronte habes, venias uti ad aedes meas,
Cum sis viri peremptor huius propalam
Praedoque perspicuus meae tyrannidis? 330
- Cre. Nostine, quid agas? hisce pro dictis tuis
Aequalia audi; quumque rem cognoveris,
Tum iudica.
- Oed. ad dicendum es acer tu quidem,
Ast dicta ad audienda ego impotens tua.
Nam repperi inimicum gravemque te mihi: 335

	Tu nonne persuasisti, ut aliquem nuncium Ad vatem honestum scilicet transmitterem?	
Cre.	Eiusdem adhuc nunc ipse sum sententiae. Proficiscitor Delphos et exquire, an tibi Oraculum recte renunciaverim.	340
	Sed consili cum vate si quid prenderis Communicasse me, perimoto haud unius Me calculo tum, sed gemino, meo ac tuo; Sententia nec separatim incerta adhuc Me criminoris. non enim aequum est, ut, mali	345
	Qui sunt, boni temere putentur aut boni Mali. bonum quippe eiicere amicum, puto Idem esse, vitam ac si quis eiiciat suam, Quam maxime diligit. at haec cum tempore	
	Tuto valebis nosse. nam iustum virum Duntaxat ostendit probatque tempus, at Malum vel una noveris tantum die. Quid facere vis igitur? an hinc me pellere?	350
Oed.	Minime. morire, non solum volo vertere.	
Cre.	Quid, si nihil recte scias?	
Oed.	nihilominus	355
	Est imperandum.	
Cre.	non profecto regis est, Vt imperet male.	
Oed.	civitas, o civitas.	
Cre.	Ad me quoque, scias, civitas haec pertinet, Solum nec ad te.	

Scena tertia

Iocasta, Creon, Oedipus

	desinite, reges, modo;	
	Diris quid, o miseri, tumultum hunc verbulis Temere excitastis nunc? nec erubescitis Hunc in modum terra laborante insuper Privata quoque movere mala? non tu is domum? Tu quoque, Creon, conferto in aedes te tuas.	360
	Noliteque ex nihili dolore maximum Producere.	
Cre.	soror, Oedipus coniunx tuus Acerba mihi facere parat damnatque me	365

- Ad alterutrum, ut aut eiiciat ex patria
Aut perimat arreptum.
- Oed. fateor, o uxor, haec;
Nam molientem eum facere mihi male
Deprendi, et artibus id malis. 370
- Cre. non nunc fruar
Vita, sed execratus inteream, si ea
Feci tibi, fecisse quae nunc obiicis.
- Oed. Me nempe caesorem esse dicit Laii;
Vatem subornavit maleficum scilicet,
Quia libero ore loquitur, in quantum potest. 375
- Iocast. Omitte vero temet excruciarier
Propter ea, quae dicis, mihi que obtempera.
Ac disce mortalem tibi esse neminem,
Qui praeterita queat et futura dicere. 380
- Oed. Vbi ille locus est, id ubi contigit mali?
- Iocast. Phocis vocatur terra. scissa autem via
A Daulia Delphisque in unum illic coit.
- Oed. Quod tempus elapsum est, ea ex quo facta sunt?
- Iocast. Prius propemodum haec civitati dicta sunt,
Quam principatum tu urbis huius adeptus es. 385
- Oed. Coniunx, mihi ut dicas, peto, qua Laïus
Facie fuerit, aetatis et quoniam in statu.
- Iocast. Magnus, caput canicie habens prima obsitum,
Nec adeo forma discrepabat a tua. 390
- Oed. Hei mihi miserrimo! ut videtur, me modo
Atrocibus feci execrationibus
Obnoxium insciens.
- Iocast. quid inquis, obsecro?
- Oed. Ibatne cum paucis an habuit plurimos
Satellites, ut principes solent viri? 395
- Iocast. Omnes fuerunt quinque, et inter eos erat
Praeco, vehebatque una rheda Laïum.
- Oed. Heu heu, modo haec perspicua sunt. sed quis fuit,
Qui facta vobis illa, coniunx, edidit?
- Iocast. Quidam famulus, incolumis inde evaserat
Qui solus. 400
- Oed. an nunc ille praesto adest domi?
Quinam reverteretur ad nos ocyus?
Emitte, qui illum accersat, et ne omiseris.
- Iocast. Mittam ocyus, sed eamus intro. nil enim
Faciam, nisi quod intelligam gratum tibi. 405

Actus tertius

Scena prima

Nuncius, Cives, <Iocasta>

- Nun. Num discere a vobis licebit, hospites,
Vbinam sit Oedipi tyranni regia?
Quin magis, ubi ipse sit tyrannus, dicite,
Si scitis.
- Civ. haec est illius quidem domus, 410
O hospes, ipseque intus est; at foemina haec,
Quam cernis, eius liberorum mater est.
- Iocast. Quid dicis, hospes? ipse rem mihi indica.
- Nun. Adsum e Corintha. porro sermo, quem fero,
Fortasse iucundus tibi erit - et quid ni enim? -
Et forsitan etiam tristis.
- Iocast. et quid est rei? 415
An Polybus obiit?
- Nun. vera si non eloquor,
Mori volo.
- Iocast. quid, famula, cessas dicere haec
Domino celeriter? o Deorum oracula,
Vbi estis? hunc olim Oedipus metuens virum
Ne forte perimeret, reliquit patriam; 420
Nunc ille fato clausit extreum diem
Nec est ab illo occisus.

Scena secunda

Oedipus, Iocasta, Nuncius, <Cives>

- Oed. o charissimum
Vxoris Iocastae caput, quid me foras
Huc evocasti ex aedibus?
- Iocast. virum hunc 425
Audi; atque cum perceperis, considera,
Oracula veneranda ubi maneant Dei.
- Oed. Et hic quis est tandem? et mihi quid nunciat?

- Iocast. Est ex Corintho nunciatque patrem tuum
Non vivere Polybum amplius, sed mortuum.
- Oed. Dolisne, morbine ullius commercio? 430
- Nun. Corpora vetusta causa sopit parvula.
Et procreatum corpus ingens quamlibet
Saepe cadit ex causa levi et minimo malo.
- Iocast. Beatus. an non pridem ego haec dixi tibi?
- Oed. Dixisti. at ego transversus agitabar metu. 435
- Iocast. Ne post igitur horum aliquid in animum tuum
Immiseris.
- Oed. cur non torum me oporteat
Metuere matris?
- Iocast. quidnam homo autem debeat
Metuere, cui fortuna cedit dextere?
Nullius autem certa providentia est 440
- Rei. optimum est longe absque cura vivere,
Vt cumque quis possit. sed haud vereare tu
Matris torum. iam enim mortalium
Cum matre concubuere vel per somnium.
- Oed. Recte locuta. cautione opus est tamen 445
Ob coniugem Polybi illius Meropam, o bona.
- Nun. Quid est? ea unde coniicit vos in metum?
- Oed. Divinum et atrox, hospes, est oraculum,
Mea, futurum ut, matre cum concumberem
Manibusque funderem paternum sanguinem 450
- Meis. ob haec Corinthus olim a me procul
Est derelicta, atque id quidem feliciter.
Oculos tamen suave est parentum cernere.
- Nun. An ista metuens vertisti solum?
- Oed. Patris peremptor esse nolens, o senex. 455
- Nun. O gnate, perspicue videris tu mihi
Nescire, quid agas.
- Oed. quomodo, o senex? doce
Me per Deos.
- Nun. ob haec redire si domum
Fugisti, genere te Polybus tangit nihil.
Namque ille non te genuit, ut nec ego quidem. 460
- Te nempe dono e manibus accepit meis.
Illi hoc diurna orbitas persuaserat.
- Oed. An emeras me an genueras, et sic ei
Dono dedisti?
- Nun. saltuosis in locis
Repperi Cithaeronis. pedum articuli tui
Possunt de eo praestare testimonium.
Nam summitates perforatas te pedum 465
Resolvi habentem.

Oed.	a matre qua, quonam patre?	
Nun.	Haud scio. sed hoc melius scit ille, qui mihi Te dedit.	
Oed.	an accepisti ab alio me quoque Nec ipse casu nactus es?	470
Nun.	non ipse sum Nactus, sed alius tradidit pastor mihi, Qui ex Laii esse dictus est pastoribus. Vos scire id indigenae potestis optime.	

Scena tertia

Oedipus, Cives, Iocasta

Oed.	Vestrumne quisquam est hic prope assistentium, Cui pastor ille notus est, quem dicit hic? Age, indicate. magna enim opportunitas Adest, ut inveniantur haec.	475
Civ.	equidem arbitror Neminem alium esse atque eum, qui rus colit Quemque etiam tu videre quaerebas prius.	480
Oed.	Nostine eum, coniunx, venire quem modo Cupimus quemque iste dicit?	
Iocast.	quis rogo? Quem dicis? haud quicquam extimescas; caeterum Quae dicta sunt, meminisse frustra ne velis.	
Oed.	Fieri hoc nequit, quum signa talia ceperim, Vt non meum genus in apertum proferam.	485
Iocast.	Benevola si tibi ac tuis fui, obsecro Per contubernalem Iovem, per et tuum Cubile, quo arcte conglutinatus es mihi: Ne per Deos, si quid tibi vita est tua Curae, hoc requiras. esse me afflictam sat est.	490
Civ.	Vtinam haud scias in sempiternum, qui sies!	
Oed.	Sic uxor abiit, praeferoci percita Maerore? valde metuo, ne forte illius Aliquod silentii quoque erumpat malum.	495
Oed.	In quod volet, prorumpat. ast ego genus meum, Quamvis sit exiguum, volam cognoscere. Fortasse eam - nam spiritus altos gerit, Vt mulier - obscuri pudet generis mei. Videre pastorem videor illum mihi,	500

Quem quaerimus dudum. senectus longa enim
Congruit, et huic aequalis est valde viro.

Scena quarta

Cives, Oedipus, Nuncius, Pastor

Civ.	Hic namque Laii, ut alius quispiam, fuit Pastor fidelis.	
Oed.	te, hospes, age, Corinthie, Primum rogo, huncne dicis?	
Nun.	hunc ipsum quidem,	505
	Quem contueris.	
Oed.	heus senex, horsum veni Mihi que dic, quae te rogaro quaeque scis. Aliquando servus tu fuisti Laii.	
Past.	Fui, atque non emptus quidem, sed verna eram, Greges sequebar in diebus plurimum Vitae meae.	510
Oed.	quaenam incolebas maxime Loca?	
Past.	in Cithaerone atque vicinis locis Habitatio mea erat.	
Oed.	ergo nostine hunc virum?	
Nun.	Sed nescientem ego eum reducam clarius In memoriam. nam bene scio meminisse eum.	515
	Age modo, dic, puerumne tunc dederis mihi, Quem propriam sobolem quasi educarem ego?	
Past.	Quid istud est? quapropter hoc interrogas?	
Nun.	Hic, o amice, ille est, puer qui tunc erat.	
Past.	Non ibis hinc malam in crucem? non haec loqui Cessabis?	520
Oed.	ah, ne corrigas istum, senex. Nam verba correctore tua mage habent opus Quam istius.	
Past.	et quid, optime here, deliqui ego?	
Oed.	Quod nempe de puero nihil plane indicas, Quem querit hic.	
Past.	quod dicit, etenim non tenet; Frustra laborat.	525

Oed.	tu bona cum gratia,	
	Vt video, non dices, sed accepto malo	
	Dices.	
Nun.	senem ne verberato, per Deos.	
Oed.	Non aliquis ocyus huius in tergum manus	
	Ligabit?	
Past.	infelix ego. quare, obsecro?	530
Oed.	Puerum dedisti huic, facta de quo mentio?	
Past.	Dedi; atque in illo disperissem utinam die	
	Male!	
Oed.	unde vero acceperas? tuusne erat	
	An alterius?	
Past.	haud meus erat, sed ab altero	
	Acceperam.	
Oed.	a quo civium atque e qua domo?	535
Past.	Ne quaere plura, here; obsecro te per Deos.	
Oed.	Si rursus haec interrogo, peristi.	
Past.	erat	
	Ex genere quispiam ac familia Laii.	
Oed.	Num servus an propria illius proles erat?	
Past.	Hei mihi. redactus sum iam eo, ut mihi tristia	540
	Dicenda sint.	
Oed.	et audienda mihi. attamen	
	Sunt audienda.	
Past.	filius sane illius	
	Vocatus est. porro tua uxor, quae intus est,	
	Quoniam modo habeant ista, dixerit optime.	
Oed.	An illa tradidit tibi?	
Past.	o rex, tradidit.	545
Oed.	Quapropter?	
Past.	ut disperderem.	
Oed.	misera illane,	
	Quae pepererat eum?	
Past.	oraculi metu mali.	
Oed.	Heu heu. ita eveniunt patenter omnia.	
	Fert cuncta tempus longum et innumerabile,	
	Ignota quae sunt, rursus et nota occulit.	
	O lux, ego nunc cerno te novissimum,	550
	Qui natus ex iis sum, ex quibus non debui,	
	Versorque cum illis, cum quibus non debui;	
	Affeci et illos morte, quos non debui.	
	Bene habet, peractum est; iusta persolvi patri,	
	Iuvant tenebrae. quis Deus tandem mihi	
	Placatus atra nube perfundit caput?	
	Quis scelera donat? consciuum evasi diem.	
	Nil, parricida, dexteræ debes tuae.	

	Lux te refugit, vultus Oedipodem hic decet.	560
	Iam iussa feci, debitas poenas tuli,	
	Inventa thalamis digna nox tandem meis.	
Civ.	Hei o atrocia, quam patrasti? quomodo	
	Ita potuisti extinguere oculos? quis Deus	
	Persuasit hoc tibi?	
Oed.	Apollo, amici, Apollo is est,	565
	Haec qui mala effecit, mala haec, quae me premunt.	
	Ast lumina sua nemo percussit manu,	
	Ipse sed ego infelix. quid enim ultra est opus	
	Videre me, videre qui possim nihil,	
	Quod iuvet?	
Civ.	ita est, quemadmodum praedicas.	570
Oed.	Quid restat ultra, quod velim sperare vel	
	Amare, amici, aut alloqui vel, quod mihi	
	Volupe sit auditu? eiicite me ocyssime	
	Ex his locis. eiicite amicum noxiun	
	Me valde et exitiosum et execrabilem	575
	Supra modum hominesque inter invisissimum	
	Diis. Cithaeron, o Cithaeron, cur, rogo,	
	Me parvulum accepisti? et acceptum dein	
	Cur non peremisti statim? nunquam palam	
	Fecissem hominibus, unde prognatus forem?	580
	Nunc invenior enim et ipse malus et ex malis	
	Oriundus. o vos tres viae et valles nigrae	
	Sylvaeque densae et arctus in trivio locus,	
	Qua manibus a meis paternum sanguinem	
	Bibistis, an memores adhuc estis mei?	585
	Qualia opera apud vos patrarim? quaeque dein	
	Commiserim profectus huc? o nuptiae,	
	O nuptiae! genuistis olim nos, dein	
	Semen remisistis idem et in lucem palam	
	Fratres patresque liberosque sanguine	590
	Tulistis ex cognato, ad haec sponsas simul	
	Et coniuges matresque nec non caetera,	
	Inter homines quaecunque sunt turpissima.	
	Sed quae facere turpe, illa nec honestum est eloqui.	
	Ocyssime proinde alicubi me foris	595
	Abscondite aut occidite vel etiam in mare	
	Abiicite, videatis ubi me nunquam amplius.	
Civ.	At commodum admodum Creon, qui, quae petis,	
	Aut faciet aut de iis amplius, quid facto opus,	
	Deliberabit. ille solus enim modo	600
	Custos relictus huius est vicarius	
	Terrae.	

Oed. hei mihi! quid ad eum loquemur? quae mihi
 Iure apud eum esse fides quit, erga quem prius
 In omnibus plane repertus sum malus?

Scena quinta

Oedipus, Creon

- | | | |
|------|--|-----|
| Oed. | Celerrime terra eiice ex hac me, ut siem,
Vbi neminem possim alloqui mortalium.
Patet, impium quod parricidam perdere
Oporteat. | 605 |
| Cre. | sic illa dicta sunt quidem;
Praesens ut haec tamen exigit necessitas,
Quid fieri oporteat, melius est a Deo
Discere. | 610 |
| Oed. | itane ergo pro viro miserrimo
Interrogabitis? | |
| Cre. | etenim tu nunc facis,
Habeatur ut Deo fides quam maxima. | |
| Oed. | In montibus sed sine habitare me, meus
Vbi hic Cythaeron nuncupatur, quem mihi
Mater paterque, viveret dum, proprium
Statuere monumentum, moriar ut scilicet
Mandato eorum, perdiderunt qui prius.
Hoc namque novi, quod nec ullus perdere
Me morbus aut aliud queat. non unquam enim
Iam destinatus morti et orci faucibus
A morte conservatus essem, ni ad malum
Aliquod acerbum fata nostra me vocent.
Miserabiles natas meas miseri patris
Commando regi, maximeque me manu | 615 |
| | Tangere sinito deflereque haec una mala.
Nam si manibus attigero, me tenere eas
Putabo ita, ut quum cernerem. quid dico? num
Charas alicubi filias exaudio, | |
| | Lachrymis madentes? per Deos. huc, huc meae
Concedite huc; ad hasce fraternalis meas
Manus venite, quae nitentes antea
Genitoris oculos vestri in hunc tandem modum
Cernere procurarunt. pater, qui, o filiae,
Vobis nec audiens neque videns, ex ea, | 620 |
| | | 625 |
| | | 630 |
| | | 635 |

Vnde ipse eram prognatus, emersi miser, Vos defleo, quia intueri non quo; Considerans, quam acerba vestra in posterum Futura sit vita, inter homines vivere	
Quam vos oportebit. quae enim consortia Adibitis? quae festa civium, unde non, Spectaculi pro amoenitate ludicri, Cum fletibus sitis reversurae domum?	640
Vester pater patrem peremis; insuper Matrem subegit, unde satus et ipse erat.	
Suscepit et vos ex iisdem, ipse ex quibus Prognatus est. haec audietis vos probra.	645
Et quis deinde ducet? haud ullus volet, O filiae, sed vos necesse prorsum erit Perire neglectas et absque nuptiis.	
Quia, mala cognati sua inter se, pium est Decetque, soli uti videant ac audiant;	650
Satis est tot effusisse lachrymas. in domum Nunc ito.	
Cre. Oed. parensum est, tametsi sit nihil	
Suave.	
Cre. Oed. omnia opportunitate scilicet	655
Sunt pulcra.	
Oed. Cre. Si dixeris, quumque audiero, sciam.	
Oed. Terra huius ut me mox releges.	ab aedibus
Cre. Dei quod est donum.	hoc petis,
Oed. Sum Dis ego.	sed invisissimus
Cre. ergo conquereris id cito.	660

Actus quartus

Scena prima

Oedipus, Antigone

- Oed. Caeci parentis regimen ac fessi unicum
Patris levamen, gnata, quam tanti est mihi
Genuisse, vel sic desere infaustum patrem.
In recta quid deflectis errantem gradum?
Permitte labi; melius inveniam viam,
Quam quaero, solus, quae me ab hac vita extrahat
Et hoc nefandi capitis aspectu levet
Caelum atque terras. quantulum hac egi manu?
Non video noxae conscientia nostrae diem,
Sed videor. hinc iam solve inherentem manum
Et patere caecum, quo volet, ferri pedem. 665
- Anti. Vis nulla, genitor, a tuo nostram manum
Corpore resolvet, nemo me comitem tui
Eripiet unquam. Labdaci claram domum,
Opulenta ferro regna germani petant:
Pars magna patris optimo e regno mea est,
Pater ipse; non hunc auferet frater mihi.
Non si revulso Iuppiter mundo tonet
Mediumque nostros fulmen in nexus cadat,
Manum hanc remittam. prohibeas, genitor, licet,
Regam abnuentem, dirigam invitum gradum. 675
- In plana tendis? vado. praerupta expetis?
Non obsto, sed praecedo. quo vis utere
Duce e duobus, omnis eligitur via.
Perire sine me non potes, mecum potes.
Sed flecte mentem, pectus antiquum advoca
Victasque magno pectore aerumnas doma,
Resiste; tantis in malis vinci malum est. 680
- Oed. Vnde in nefanda specimen egregium domo?
Vnde ista generi virgo dissimilis suo?
Fortuna, credis, aliquis est ex me pius?
Animosa virgo, funus extendis meum
Longasque vivi ducis exequias patris.
Aliquando terra corpus invisum tege.
Peccas honesta mente: pietatem vocas
Patrem insepultum trahere. qui cogit mori
Nolentem, in aequo est, quique properantem impedit;
Occidere est, vetare cupientem mori. 695

	Nec tamen in aequo est: alterum gravius reor. Malo imperari quam eripi mortem mihi.	700
	Desiste coepto, virgo. ius vitae ac necis Meae penes me est: regna deserui libens, Regnum mei retineo. quid pectus ferum Mollire tentas precibus? hoc animo sedet,	
	Effundere hanc cum morte luctantem diu Animam et tenebras petere; nam sceleri hoc meo Parum alta nox est. Tartaro condi iuvat Et, si quid ultra Tartarum est. tandem libet,	705
	Quod olim oportet; morte prohiberi haud quo. Eripere vitam nemo non homini potest,	
	At nemo mortem; mille ad hanc aditus patent.	710
Anti.	Ast hoc decebat roboris tanti virum, Non esse sub dolore nec victum malis Dare terga. non est, ut putas, virtus, pater, Timere vitam, sed malis ingentibus	715
	Obstare nec se vertere ac retro dare.	
Oed.	Me fugio, scelerum fugio conscientium omnium Pectus. manumque hanc fugio et hoc coelum et Deos Et dira fugio scelera, quae feci nocens.	
	Absiste, nullas animus admittit preces.	720
Anti.	Si nulla, genitor, causa vivendi tibi est, Haec una abunde est, ut pater gnatos regas Graviter furentes. tu impii belli minas Avertere unus tuque vecordes potes	
	Inhibere iuvenes, civibus pacem dare, Patriae quietem, foederi laeto fidem.	725
	Vitam tibi ipsi si negas, multis negas.	
Oed.	Illis parentis ullus aut aequi est amor, Avidis cruoris, imperii, armorum, doli, Diris, scelestis - breviter ut dicam, meis?	730
	Certant in omne facinus et pensi nihil Ducunt, ubi illos ira praecipites agat;	
	Nefasque nullum, per nefas nati, putant. Non patris illos tangit afflitti pudor,	
	Non patria, regno pectus attonitum furit.	735
	Scio, quo ferantur, quanta moliri parent; Ideoque lethi quaero maturi viam	
	Morique propero, dum in domo nemo est mea Nocentior me. i, gnata, quid genibus meis	
	Fles advoluta? quid prece indomitum domas?	740

< ... >

Scena secunda

Nuncius, Oedipus, Antigone

- | | | | |
|-------|--|--|-----|
| Nun. | regia stirpe edite,
Thebae paventes arma fraterna invocant
Rogantque, tectis arceas patriis faces.
Non sunt minae, iam propius accessit malum:
Nam regna repetens frater et pactas vices
In bella cunctos Graeciae populos agit.
Succurre, prohibe pariter et bellum et nefas.
Ego ille sum, qui scelera committi vetem?
Et abstinere sanguine a charo manus
Doceam? magister iuris et amoris pii | 745 | |
| Oed. | Me sequuntur; laudo et agnosco libens.
Exhortor, aliquid ut patre hoc dignum gerant.
Agite, o propago clara, generosam indolem
Probate factis, gloriam et laudes meas
Superate et aliquid facite, propter quod patrem
Adhuc iuvet vixisse. facietis, scio.
Sic estis orti: scelere defungi haud levi,
Haud usitato tanta nobilitas potest.
Ferte arma, facibus petite penetrales Deos
Frugemque flamma metite natalis soli;
Miscete cuncta, rapite in exitium omnia,
Deiicite passim moenia, in planum date,
Templis Deos obruite, maculatos lares
Conflare. ab imo tota concidat domus,
Vrbs concremetur, primus a thalamis meis
Incipiat ignis. | 755 | |
| Anti. | mitte violentum impetum
Doloris, ac te publica exorent mala,
Autorque placidae liberis pacis veni.
Perge, o parens, et concita celerem gradum,
Compesce tela, fratribus ferrum excute;
Nudum inter enses pectus infestos tene,
Aut solve bellum, pater, aut primum excipe. | 760 | |
| Oed. | Ibo, ibo et armis obvium opponam caput.
Anti. | Procedit acies tarda, sed properant duces. | 765 |
| | | 770 | |
| | | 775 | |

Actus quintus

Scena prima

Polynices

- Poly. Me ianitorum facile claustra admittere
Moenia solent intra urbis, ast timeo,
Ne fraudibus fraterculus captum teneat.
Quare undiquaque fero oculos circum igneos,
Lateat ubi, ut sciam, ferox hostis meus; 780
Armatus hoc sed ense, fretus dextera, et
Fiduciam mihi fert nunc audacia.
Eho, quis hic? animus et strepitum timet
Levem; omnia enim sunt timoris fervida,
Quando hostium pes graditur ad plenum solum. 785
Et fido matri, simul et ut vereor, mihi
Sit fida, suasit quae, accedam ut hostes meos.

Scena secunda

Cives, Iocasta, Polynices

- Civ. Verenda, portas pande: nunc iuvat obviam
Prodire nato et dulce collum nectere;
I, redde amorem fratribus, pacem omnibus
Et impia arma matris oppositu impedi. 790
- Iocast. O nate, longos post dies vultum tuum
Iam video; tu complectere ulnis pectora
Matris, genas opprime genis albentibus,
Flavente collum matris et inumbrans coma. 795
Io nate, non speratus, ut nunc exhibes
Te, abactus exul fratris ex iniuria.
Raso canescensem hinc vides me vertice.
Namque lachrymosa est secta, funesta et coma;
Et vestibus nunc candidis depositis 800
Incedo nigrasque laceras vestes habens.
Estque tuus orbatus pater iam lumine
Domi, indolens, natis malum quod dixerit.

	Occultus hinc latitat et ad mortem ruit Clamoribus tristemque meditatur necem.	805
Poly.	Ad patris aedes venio non stultus parum, Mater, sed et prudens tuis cedens precibus. Perculsus ast sum maximum ob hostis metum, Ne capiat hostem armata frater nunc manu. Tua sed tuetur me fides sanctissima.	810
	Arces acerbis fletibus video patris Post tempus ut longum Deorumque atria et Gymnasia, quae primum artibus pueritiae Mentem imbuerunt inclytis! nunc pulsus hinc Peregrino in orbe versor exul maximus.	815
	Hinc ora singultu sonant, lachrymis genae Madent, et omnis vita acerba est nunc mihi. Quam est ira dira res amicorum et quam habet Viam reconciliationis lubricam!	820
	Grandaevus ast pater quid, o charissima, Agit in tenebris? quid sorores optimae?	
Civ.	Reconciliationis hic causa venit. Nunc partium tuarum erit, mater, tuos Qui facere concordes queas videre mox.	
Poly.	O mater, adsum gratiam in tuam: velis	825
	Quid, loquere; quid vel nunc agendum sit, mone.	
Locast.	Accede proprius, claude vagina impium Ensem et trementem iamque cupientem excuti Hastam solo defige; maternum tuo Coire pectus pectori clypeus vetat,	830
	Hunc quoque repone. vinculo frontem exue Tegmenque capitis triste belligeri leva Et ora matri redde. quo vultus refers Acieque pavida fratris observas manum?	
	Affusa totum corpus amplexu tegam, Tuo cruori per meum fiet via.	835
	Quid dubius haeres? an times matris fidem?	
Poly.	Timeo. nihil iam iura naturae valent; Post illa fratrum exempla, ne matri quidem Fides habenda est.	

Scena tertia

Iocasta, Polynices, Eteocles

Iocast.	redde iam capulo manum, Astringe galeam, laeva se clypeo ingerat: Dum frater est armatus, armatus mane. Tu pone ferrum, causa qui es ferri prior. Si pacis odium est, furere si bello placet, Inducias te mater exiguae rogat,	840
	Ferat ut reverso post fugam nato oscula Vel prima vel suprema; nunc pacem peto. Tu, nate, paulisper mane. non nititur Is iure, qui consilia sequitur turbida; Sapientia in sermonibus tardis latet.	845
	Ferociam ergo mentis atque irae impetus Dispelle, fratris, non cruentae Gorgonis Caput vides; et tu quoque ad fratrem aspice. Fixis eodem namque ocellis certius, Commodius et dices et huius verba tu,	850
	Tu, inquam, audies. sed vos monebo paucula. Amicus infensus si amico olim viro Occurrit et lumina sua impertiverit Illius ocellis, ea debet meminisse, quae Propter redit, nihil malorum amplius.	855
	Ergo Polynici nunc prior questus locus. Poly. Oratione simplici sed veritas Gaudet, nec ambagibus eget res inclita; At sermo iniquus et sibi constans parum Hic fulcra poscit, medicamina et plurima.	860
	Egressus ipse sum volens fines meos, Imperia concessi et patris fratri annua, Regnarem ut ipse quoque ad anni tempora. Et nunc paratus sum, meum si cepero, Exercitum hunc emittere ex isthoc solo.	865
	Meam interim et domum regere iustissime Per spacia rursus aequa fratri tunc dabo. Haec si obtinuero non, meum ius persequar; Harumque rerum vos Deos testes facio.	870
Eteo.	Si idem omnibus pulchrum foret mortalibus, Non esset anceps tanta nec contentio. Sed simile nil, aequale nil mortalibus, Ni forte verba, rebus ast non convenit. Arcana mentis indicabo nunc meae:	875

	Ascenderem aureos tepentis solis ad Ortus, cavernas et sub altricis soli, Potentia ut daretur in summos Deos. Quare hac beatitate praeditus iam semel, Servare statui, concedens fratri nihil. Ignavus et abiepto animo enim est, dimiserit Qui maius, acceperit et infelix minus. Haud ego hominem mihi emerem teruncio, Qui spebus usque se recreat inanibus. Sed aut honeste vivere aut occumbere Convenit honeste nobilem natum virum.	880
	Summam omnium sermonum ita audisti modo. Quare arma ferte, ferte flamas, iungite Et curribus mox inde falciferis equos. Non concedam isti sceptra regni maxima.	885
	Iniuriam si facere oportet, iustior Est nulla causa dignitas quam regia. Exerceatur rebus in et aliis pius.	890
Iocast.	O stulte. nil fert ira commodi in malis; Nec omnia adsunt mala senectae providae. De rebus usus disputat sed prudentius Aetate prima, sic et experientia.	895
	Cur nate caperis pessimorum daemonum Iniquitate, pessima et sequeris studia? Est ambitio Dea, domos quae plurimas Et regna florentia cremavit funditus,	900
	Quae plurimos egit et in exilium suos. Quare aequitatem colito tu, quod pulchrius; Haec urbibus coniungit urbes foedere, Amoris est haec quoque fidelis vinculum.	905
	Haec ergo contemplans, superbum dixeris Nullum ipse verbum caelites contra Deos Nullumque praeferas tumorem, si tibi Plus quam alteri fuerit opum vel virium.	910
	Dies enim una inclinat ac rursum erigit Humana cuncta. semper autem diligunt Di temperantes ac perosi sunt malos.	915
Eteo.	Et si Deus quis quempiam vult laedere, Melioris etiam ignavus effugit manus. Non verbulis, verberibus est tractanda res.	
	Sic tempus interim bonum teritur male, Nil efficis materque nunc studio pio;	920
	Nec aliter inter nos fiet pax, quam hac via, Vt nempe rerum sim potens solusque rex.	
	Mater, quiesce dicere ultra quippiam	

	Finemque fac, chara, monitis. tu moenia Vt extra eas, praecipio, si vitam colis.	925
Poly.	Tu solus hic invulnerabilis? scias Proin, minae quod plurimae permultaque Furore verba proferuntur inaniter. Et manibus, ecce, praeditum fratrem tuum.	930
Eteo.	Tu sceptrum partemque mihi terrae reddito.	
Poly.	Nil debo praeter ferrum et ignem. adeste mi. O frater infelix, maius haud ullum est malum Mortalibus, quam tristis est necessitas. Eo. sed videndum da prius vultum patris.	935
Eteo.	Non.	
Poly.	ast sorores virgines.	
Eteo.	nunquam fiet.	
Poly.	Ergo mihi, mater, vale; amplius non sum tuus. Et valeat universa gens nostrae domus. Sed testor altricem hanc meam terram et Deos, Indigna miserandaque feram, quod filius	940
	Meis paternis eiior e sedibus, Pro libero et servus vocabor verbulis. Tu si quid, urbs, tibi accidet, non me, sed hunc Referes reum; nam iusta scis, quod persequar.	
	Et o Apollo Delie et vos atria Meique vos cives, Deorum plurimum Et vos imagines solennes, haud scio, An liceat appellare vos posthac magis.	945
	Vos Graeciae duces, superbi et milites Danaum, mea nolite causa aut gratia Capitis subire fata. nam solus meo Cum fratre conseram manus solusque regam,	
	Cum occidero hunc; sin victus occumbam, tibi Tunc huius urbis, frater, imperium dabo.	
	Heus tu! tibi Eteocli necem teque iterum volo.	950
	Experiar aliquid, unde demonstrem patri, Me neutiquam ignavo esse ab illo animo satum.	
Eteo.	Haec dicta fratris comprobo, adsint arbitri.	955

Scena quarta

Eteocles, Iocasta, Polynices, Arbitri, Creon

Eteo.	Ast ne diutius manus cessent, veniat Nunc frater adversarius. tu nuptias Meae sororis, sed tuque et filii Haemonis, ut cures, velim, fortuna si Fugacior me liquerit; dos sceptrum sint. Matrem sub exitu meo mando tibi. Vrbi sed impero et Creonti, fratris ut Ne quisquam sepeliat cadaver mortui. Qui fecerit scelus, amicus sit licet, Capite luat factum, cruento et sanguine. Proinde tu, si te hoc facere adeo iuvat, Vtere manu nilque omnium, quae cogitas, Omitte. nam facturus ego idem sum tibi.	960
Iocast.	In me arma et ignes vertite, in me omnis ruat Vnam iuventus, civis atque hostis simul. Hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro; Mea me<m>bra passim spargite ac divellite. Ego utrumque peperi: ponitis ferrum ocyus? Donate matrem pace. si placuit scelus, Maius paratum est, media se opponit parens; Proinde bellum tollite aut belli moram: Stabo inter arma; petens qui fratrem volet, Petat ante matrem. tela, qui fuerit pius, Rogante ponat matre; qui non est pius, Incipiat a me. fervidos iuvenes anus Tenebo, nullum teste me fiet nefas. Succurre, nata, fratribus tendentibus In mutuam necem ensibus scelere tinctus.	970
Poly.	O mater, occidimus; sororem, te simul Demortuum fratrem meum nunc lugeo. Nam amicus hostis factus est, sed nunc quoque In morte amicus est mihi. tu fac, mihi In patria terra sepulchri sit locus; Et motus urbis turbidos placa et vale, Caligo mortis occupat iam filium.	975
		980
		985
		990

Scena quinta

Antigone

- Anti. O misera ego. mox, quaeso, amici, ferte opem
 Fortunae in hisce iam necessitatibus. 995
 O casus undique pectus affligens meum!
 Deserta quid primum querar? quos flebiles
 Planctusque inanes misera fundam, o domus.
 Crudelis est ubique luctus. quem meis
 Vulsis capillis primum ego aspergam misera?
 An matris, an fratrum cadaver flebile?
 Eheu, relinque nunc tuas aedes, pater
 Grandaeve, qui cassos ocellos lumine
 Geris domique caecus erras, intus et
 Senile corpus miserum et abstrusum foves. 1000
 1005

Scena sexta

Oedipus, Antigone

- Oed. Baculo nitentem, virgo, quid me evocas
 Miserabili fletu?
- Anti. feras ut nuncium,
 Sed triste, genitor: namque amplius, heu, filii
 Cum matre lucem non vident; heu heu mihi!
- Oed. O me miserum! malorum nullus est, 1010
 Heu, terminus! duc, matrem ut attrectem meam.
 O mater, o coniunx miserrima! sed corpora
 Vbi filiorum sunt meorum? infelia,
 O chara corpora et manus charissimae!

Scena septima

Creon, Antigone, Milites

Cre.	Levate luctus, flebiles rescindite Planctus, gelida et imponite urna mortuos. Sed ocyus fossam apparet vos cavam, Vos caeteri celsum lebetem ponite Velociter ad ignem, lavacris pro sacrис. Scis natus Eteocles meo Haemoni, mihi et Concessit huius sceptra regni splendida; Quae hereditate consequor demortui. Vobis edico civibus sed de Oedipi Gnatis, ut Eteocli quidem, qui fortiter Pro civitate hac praeliatus et gerens Sese optime occubuit, sepulchrum mox fiat;	1015
	Porro Polynicem mortuum iustissime Ne quis sepeliat neve quispiam lugeat Eum, sed infletum iacere sic sinant Et insepultum, quo rapacibus fiet Thesaurus alitibus suavis, quae cibi Duntaxat oblectationem quaeritant, Turpi ut videri possit affectus nota. Praeter ea si quis quid horum fecerit, Proposita mors illi est in urbe publica.	1020
Anti.	Ego hunc sepeliam, licet hoc civitas vetet.	1025
Cre.	sepelies te ipsam cum tuo.	
Anti.	Obtestor hanc te per sororem, o rex Creon.	
Cre.	Frustra laboras, et preces nullum locum Habent.	
Anti.	sinas saltem, cadaver frigida Vt abluam et vulnera ligem saevissima.	1030
Cre.	Tibi praedico, hunc sepulchro ne inferas, Ne forte cupiens hunc sepulchro condere, Ipsa in sepulchrum factum ob istuc incidas.	
Anti.	Hunc autem ego, seu tu vetes seu quispiam Dux alias, inferam sepulchro; atque id quidem Iuste. nihil plane reverit os tuum. Et os tuum exoscular tamen, charissime.	1035
Cre.	Hunc sepelias, cave.	
Anti.	vicissim ergo accipe, Quod sepelietur, verba nec curo tua.	1040
		1045
		1050

- Cre. Comprendite hanc et in domum deducite.
Et prompti eant, qui mortuum custodiant;
Nec quippe concedatis illis quippiam,
Dictis meis quicunque non obediunt.
- Mil. Ast nullus est stultus adeo, ut velit mori. 1055
- Cre. Est haec quidem proposita merces. attamen
Spes et lucellum homines frequenter perdidit.

Actus sextus

Scena prima

Antigone, Ismene

- Anti. Chara soror Ismene atque germanum caput,
 Facile in malis praesentibus videbo nunc,
 Generosa num sis an bonorum ignobilis
 Soboles parentum. 1060
- Ism. quid, misera, si haec sic habent,
 Solvens ego vel sepeliens facerem amplius?
- Anti. An sis opem latura mi, considera.
- Ism. Quidnam periculi capessis? quae tua
 Sententia est tandem?
- Anti. an cadaver mortui 1065
 Mecum velis levare?
- Ism. tune cogitas
 Sepelire civibus prohibitum.
- Anti. scilicet
 Fratrem meum tuumque; si tu non voles,
 Non prodam enim illum, me nec huius quispiam
 Damnabit impietatis.
- Ism. o miserabilis, 1070
 Prohibente num Creonte?
- Anti. non est illius,
 Vt me prohibeat a meis.
- Ism. heu me! soror,
 Considera, quam morte simus pessima
 Periturae, ita edictum tyranni ac regiam,
 Ex lege publica, potestatem, quam habet,
 Si forte violamus. sed hoc expendere
 Oportet, esse nos creatas foeminas,
 Quae cum viris pugnare nequaquam queant;
 Deinde, quia potentiorum subsumus
 Imperio, et audienda nobis esse et haec 1075
- Et tristiora insuper. ego ergo a manibus
 Veniam precata, quoniam ad haec vi cogor, iis
 Parebo recte, qui magistratum gerunt.
 Nam quippiam aggredi supra vires caret
 Ratione prorsus.
- Anti. nec ego iusserim amplius 1080
 Neque, si facere velles libenter, ferrem ego,
 Vti faceres mecum. sed esto eiusmodi,

	Cuiusmodi esse tibi placet; ego illum tamen Humabo. mihi honestum est ob hoc factum mori. Iacebo cum illo, chara, cum charopia Persolvero. nam tempus est id longius, Quo me inferis placere oportet manibus Quam quo supera agentibus in aura proximis. Discede tu, fratri meo charissimo Factura tumulum ibo.	1090
Ism.	hei mihi miserrimae, Quam metuo valde tibi.	1095
Anti.	mei causa nihil Metuas, tuam servare sed vitam stude.	
Ism.	At facinus hoc, quaeso, indicato nemini, Verum reconde clam; faciam idem ego quoque. Soror, mulierum ornatus est silentium.	1100
Anti.	Hei mihi, palam eloquitor. eris multo mihi Invisior, si tacueris nec omnibus Haec praedicaveris.	
Ism.	calidum habes admodum Cor frigidis in rebus.	
Anti.	ast iis me scio Placere, quis placere oportet maxime.	1105
Ism.	Si tu quidem possis, sed illa tu cupis, Quae sunt supra vires tuas.	
Anti.	proinde cum Nihil amplius potero, quiescam.	
Ism.	porro nec Ab initio quidem decet venarier Impossibilia.	
Anti.	semper haec si dixeris Huiusceque fueris adeo sententiae, A me quidem odio habeberis, tum mortui Fratris inimica merito censebere. Sed me sine et mea consilia mala perpeti haec	1110
	Acerba. nam tantum mali patiar nihil, Vt non honeste moriar.	
Ism.	at haec si tibi Videntur, ito. sed scias hoc te quidem Stultam esse facto; at amicam amicis approve, Obtempera. nam providentia nihil Et mente sana utilius est mortalibus.	1115 1120

Scena secunda

Milites, Antigone, Cives

- Mil. Heus, te voco iubeoque, ne qua funus hoc
Cures sepeliasve, sed ita iacere ut sinas.
Haec, haec soror cadaver ante paululum
Sepelivit, imprudenter accedens, super
Exangue corpus pulverem aridum et manu
Sparsit parentavitque, sicut addebet. 1125
Haec est, prohibitum quae facinus effecit. hanc
Comprendimus humantem. sed ubi nunc Creon?
Civ. Rediens is e domo peropportune adest.

Scena tertia

Milites, Creon, Antigone, <Cives>

- Mil. Nunc ergo, rex, hanc ipse captam, ut voles, 1130
Et iudica ac redargue. at iam iure ego
Sum liber absolvorique tandem ab his malis.
Cre. Adducis autem hanc quomodo? acceptamque ubi?
Mil. Haec nempe sepelivit virum. ita scis omnia.
Cre. Rectene ais, quae dicis, ac intelligis?
Mil. Cadaver hanc vidi, quod interdixeras,
Sepelire; quare nota dico certaque 1135
Nihilque falsum.
Cre. tete ego nunc alloquor,
Quae cernua aspicis solum. fateris haec
Fecisse te an negas?
Anti. et aio nec nego. 1140
Cre. Sed dic mihi, et brevibus quidem: num noveras
Edicta, ne quis ita faceret?
Anti. noveram.
Quo pacto enim haud nossem illa, quae manifesta erant?
Cre. Et ausa sic es hasce leges transgredi?
Anti. Non Iuppiter siquidem mihi haec praeceperat, 1145
Nec inferorum familiare ius Deum,
Leges dederunt hasce qui mortalibus,
Edicta nec tantum valere sum rata

	Tua, propter ut ea homo posset haud scriptas Deum Tutasque leges transgredi. non illa enim Duntaxat hodie herive, sed semper valent Vivuntque, scitque nemo earum exordium. Has ego hominis fastu ullius perterrita Violare nolui atque poenam apud Deos Dare. morituram me sciebam liquido,	1150
	Etiamsi in edicto illud haudquaquam tuo Denunciasses. porro si ante tempus hinc Excessero, ingens illud arbitror lucrum. Quicunque enim in multis, ut ego, vivit malis, Quonam modo ille haud faceret emoriens lucrum?	1155
	Ita mihi sane hac morte non dolet mori; Emortui sed si reliquissem mei Fratriis cadaver insepultum, haec res mihi Ferret dolorem. illud mihi haudquaquam dolet, Quodsi tibi stulta videor, quod fecerim hoc;	1160
	Stulti propemodum stulta sum sententia.	1165
Cre.	At scito, sensus quod nimis duri cadant Prae caeteris praecipue. et invictissimum Ferrum igne coctum maceratumque approve Fractum atque contritum videres saepius;	1170
	Parvoque freno paeferoces novi equos Solitos regi. non convenit enim spiritus Elati eum esse, servus est qui proximi. At contumeliosa tunc quidem haec fuit,	
	Quando positas est ausa leges transgredi;	1175
	Vt illud autem fecit, haec est altera Iam contumelia, gloriari facto eo Et insuper ridere. certe non ego Vir sim, sed ipsa, si tulerit audaciam hanc	
	Impune. sed sive ex sorore nata sit	1180
	Aut ex propinquiore, quam rerum omnium Hercus esse Iuppiter nobis solet, Non haec tamen sororque mortem pessimam Vitare poterunt. quippe et illam aequaliter	
	Accuso participem fuisse consili	1185
	Super sepulchro. et evocate illam mihi.	
Anti.	Visne amplius aliquid facere quam occidere?	
Cre.	Nihil amplius. ubi hoc consecutus sum, omnia Sum consecutus.	
Anti.	quid moraris ergo? quum Tua mihi nil prorsus placeat oratio?	1190
	Placitura nec sit unquam, ut et tibi mea Placere non potest? sed unde gloriam Nanciscerer celebriorem, quam meum	

	Quod in sepulchrum condidi fratrem? omnibus Hoc his placere diceretur, ni metus Linguam coerceat. sed est tyrannis et Ob alia felix multa; maxime tamen, Quod et facere dicereque ei, quae vult, licet.	1195
Cre.	Sed non paria malus adipisci cum bono Debet.	
Anti.	quis autem novit, an apud inferos Haec sint pia?	1200
Cre.	haud inimicus unquam amicus est, Ne mortuus quidem.	
Anti.	haud pariter odisse ego, Sed amare cum aliis soleo.	
Cre.	ad inferos modo Veniens amato illos, si amare convenit.	

Scena quarta

Creon, Ismene, Antigone, <Cives>

Cre.	Num te sepulturae huius affirmas quoque Esse sociam, an iurabis ignorare te?	1205
Ism.	Feci facinus ego hoc, modo haec consentiat; Et particeps sum pariter et culpam fero.	
Anti.	At enim tibi iustitia non permittet hoc.	
Ism.	Ne me soror despicio, ne moriar, vetans, Tecum simulque mortuum fratrem expiem.	1210
Anti.	Ne tu simul moriare; neu facias tua, Non attigisti quae. moriar ut ego, sat est.	
Ism.	Hei mihi miserae. et a morte aberro sic tua?	
Anti.	Vitam eligebas nempe tu, sed mortem ego. Confide: tu vives quidem, ast olim mea Iam mortua est anima, uti mortuos iuvem.	1215
Cre.	Non cohabitabit. ne loquaris talia; Haud amplius super es enim.	
Ism.	sponsam ergone Tui necabis filii?	
Cre.	subigi queunt Etiam aliorum filiae non improbae. Malas male odi filiis dare coniuges.	1220
Anti.	Charissime Haemon, quam pater te despicit!	

Cre.	Nimis et molesta es tu, tuaeque nuptiae. Imponet Horius hisce finem nuptiis.	1225
Civ.	Gnatorum postrema tuorum Soboles accedit, sine dubio Anxius ob mortem desponsae Antigones, aegre atque dolenter Vxore ferens defraudari.	1230

Scena quinta

Creon, Haemon, <Cives>

Cre.	O gnate, nunquid ultimam sententiam Super futura coniuge audisti atque ades, Vt in patrem evomas furorem? an nos tibi Vbique, quaecunque facimus, chari sumus?	1235
Haem.	Pater, tuus sum, tuque recte mi praeis, Rectas si habes sententias, ego quas sequar. Vllae neque a me praferentur nuptiae, Idque merito, tibi gubernanti probe.	
Cre.	Sic nempe cogitare, gnate, convenit, Cuncta esse postponenda consilio patris. Propterea enim homines liberos optant domi Satos habere obedientes, hostibus	1240
	Vt mala repandant et parentes vindicent Nec non amicos aeque honorent ut patrem. Qui gignit autem filios inutiles,	
	Quid aliud hunc genuisse dicas quam sibi Molestiam, risum et inimicis plurimum? Ne nunc igitur, o gnate, mentem ob coniugem	1245
	Et voluptatem eiicito, certo hoc sciens, Quod frigidus vehementer amplexus siet	
	Mala mulier consors tori eiusdem domi.	1250
	Quod maius hulcus etenim, amicus quam malus? Sed desprens tu velut in inimicam, sine hanc	
	Apud inferos alicui puellam nubere.	
	Nam poste aquam deprehendi liquido	1255
	Solam rebellam eam omnibus prae civibus,	
	Non exhibeo memet ipsum civibus	
	Falsum atque mendacem, sed occidam malam.	
	Nam quem magistratum statuerit civitas,	
	Illi est obediendum et in parvis et in	1260

- Iustis et in contrariis. non est enim
 Vel maius ullum inobedientia malum.
 Haec civitates perdidit, haec vastat domos,
 Haec praelii sub tempus erumpit in fugam.
 At subditorum plurimorum corpora 1265
 Obedientia ad salutem provehit.
 Hic mi valebis, fili; in aliis ego
 Tibi libenter omnibus morem geram.
 Ast illa supplicium hoc nec aliud perferet.
- Haem. Mens hominibus, pater, a Deis innascitur, 1270
 Quae superat omnes omnium pecunias.
 At ego, quod haec recte haud loquaris omnia,
 Neque, hercle, possem neque etiam scirem loqui;
 Fierique quit, ut ista videantur et alteri
 Bene dicta. sed tibi prospicere soleo omnia, 1275
 Quaecunque dicit aut facit carpitque quis.
 Aspectus etenim tuus atrox est ci~~<vi>~~bus,
 Vt non loquantur, quae tibi iniucunda sunt
 Auditu. ego autem sub tenebris audio haec,
 Hanc defleat quomodo puellam civitas, 1280
 Quod pessime indignissimeque prae omnibus
 Pereat mulieribus, idque facta ob inclita;
 Quae fratrem in horrendis iacentem caedibus
 Nec insepultum sivit, a canibus neque
 Perire crudivoris nec ulla ab alite. 1285
 An digna non certo haec coronari aureo?
 Talis silenter fama tenebrosa ingruit.
 Res nulla vero tam mihi est optabilis,
 Quam te beatum semper ut videam, pater.
 Quod maius etenim gaudium sit liberis, 1290
 Quam si celebri laude floreat pater?
 Quod maius etiam gaudium obveniat patri,
 Quam liberi si laude multa floreant?
 Nunc ergo ne morem unicum hunc tantummodo
 Tecum retineas, ut nihil aliud putas 1295
 Rectum esse, nisi quod ipse dicis unicus.
 Solus etenim qui ipse sapere videtur sibi
 Linguamve vel animum obtinere eiusmodi,
 Cuiusmodi alias nemo, tales saepius
 Sunt visi inanes, post remota pallia. 1300
 Sed cede ab isto animo atque poenitentiae
 Dato locum. nam si quod est iuveni mihi
 Iudicium, id equidem dico, longe excellere
 Virum refertum omnifaria scientia.

- Civ. Rex, hunc decet te, si qua dicit commode,
Vt audias, tuque hunc vicissim. utrinque enim
Dictum est probe. 1305
- Cre. nos ergo tanta aetate iam
A tantulae aetatis docebimur viro
Sapere?
- Haem. nihil, quod non sit aequum. porro ego
Si sum iuvenis, haud tempus addecet magis
Considerare quam opera. 1310
- Cre. num iustum est opus,
Inobedientes afficiam ut honoribus?
Nec enim unquam bene parebitur
In civitate, ubi nullus est status timor.
- Haem. Non te iubeo honore afficere malos.
- Cre. an haec
Non est in eiusmodi praehensa morbo? 1315
- Haem. at hoc
Thebanus haud dicit populus aut civitas.
- Cre. Hic, ut videtur, adiuvat mulierculam.
O pessime, et cum patre litigas tuo?
- Haem. In iusta nimirum video peccare te. 1320
- Cre. Num pecco, honore principatum quum meum
Afficio?
- Haem. non affidis honore, dum Deum
Calcas honores.
- Cre. o scelestum ingenium et a
Muliere victim.
- Haem. me praehendes neutiquam
A turpibus victim.
- Cre. an tuus non omnis hic
Sermo institutus pro salute illius est? 1325
- Haem. Et pro tua meaque proque denique
Dis inferis.
- Cre. non est, ut hanc vivam amplius
Sperare ducturum queas.
- Haem. morietur haec
Igitur, et aliquem est perditura mortua. 1330
- Cre. An ad minas procedis usque etiam ferox?
Pro vile mancipium mulieris et improbum
Loquacitate in me, tibi aio, ne tones.
- Haem. Vis quidlibet loqui et loquens audire nil.
Nam dura mordent, sint licet iustissima. 1335
- Cre. Verum est. sed haud per olympium Iovem, scias,
Gaudebis, in me quod tonas convitiis.
Abducite illud odium, ut ob oculos statim
Sponsoque praesente moriatur.

Haem.	neutquam	
	Praesente me; ne unquam futurum hoc censeas.	1340
	Neque prope me peribit haec, nec tu meum	
	Posthac ocellis conspicaberis caput,	
	Vt quod manebit iunctum amicis, qui volunt	
	Secum esse me.	
Civ.	rex, homo abiit piae ira citus;	
	Talis animus vero est atrox, doloribus	1345
	Attactus.	
Cre.	age faciat, sapiat et amplius	
	Quam pro virili, non puellas has tamen	
	A morte liberabit.	
Civ.	ambas tune eas	
	Necare cogitas?	
Cre.	eam non, mortuum	
	Quae non tetigit. hoc igitur admones probe.	1350
Mil.	Qua morte vero eam statuis occidere?	
Cre.	Perductam eo, deserta ubi a mortalibus	
	Via est, recondas vivam in excisum specum	
	In saxa, manipulo modo apposito cibi,	
	Tota effugiat ut civitas piaculum;	1355
	Plutonem mihi rogans, Deorum quem colit	
	Solum, impetrabit forte, ne mortem oppetat,	
	Aut discet illic prorsus, inferos Deos	
	Quod colere plane sit superfluus labor.	

Scena sexta

Antigone, Cives

Anti.	O patriae cives meae,	1360
	Videte me vivam ultimum	
	Euntem et ultimum iubar	
	Solis videntem et postea	
	Nunquam; sed Orcus me trahit,	
	Qui sternit omnibus torum,	1365
	Vivam ad Acherontis littora.	
	Quae nuptiarum expers fui,	
	Nec nuptiale canticum	
	Me cernit, atro sed modo	
	Trador Acheronti nuptui.	1370

Civ.	Inclita igitur laudemque habens, In mortuorum ibis specum hunc, Morbis nec absumentibus Percussa nec meritam ensibus Sortita poenam criminis; Sed viva sola et libera Inter homines ad inferos Descendis et fratriis manes.	1375
Anti.	Lachrymis amicorum carens, Simul et amicis, nuptiis, Abducor infelix modo Viam hanc paratam, nec mihi Miserae sacrum oculum lampadis Est amplius fas cernere, Meamque mortem lugubrem Amicus haud ullus gemit.	1380

Scena septima

Creon

Cre.	Proclive valde est mulierum ad luctum genus. Scitisne, quodsi luctuosa carmina Recitare prosit ante mortem, desinat Nemo? haud eam abducetis hinc celerrime Tectoque claudentes sepulchro, ut dixi ego, Solam relinquetis? ibi seu mortem oppetat Seu viva in illo aetatem agat cubiculo. Nam quod puellam hanc attinet, puri sumus;	1390
	Supero incolatu namque sic privabitur.	1395

Scena octava

Antigone

Anti.	O tumba mea, o thalame nuptialis! o Habitatio effossa atque in aeternum mea Custodia futura, ad meos quo nunc eo;
-------	---

Quorum catalogum maximum inter mortuos
Cepit Proserpina, quorum ego novissima
Miserrimeque afflita descendō, ante quam
Vitae meae fatale tempus exeat.
Vehementer autem spero, quod veniens meis
Ventura sim chara, et tibi mater quoque
Tibique fraternum caput, quoniam meis
Ego manibus vos lavi et ornavi et dedi
Libamina sepulchralia. atque nunc tuum
Quia, Polynices, corpus obtexi, hanc fero
Mercedem. at affeci te honore debito,
Idque bene sentientium sententia. 1400
Ast iam misera desertaque ab amicis adhuc
In mortuorum viva pervenio specum. 1410

Actus septimus

Scena prima

Creon, Tiresias <cum puerō>, Cives

- Cre. Quid est, senex o chare Tiresia, novi?
Tires. Ex visceribus unum tuis natum dabis
Pro mortuis illis vicissim mortuum,
Quod miseris vivos ad inferos
Animamque contemptim sepulchro incluseris;
Habeasque rursus hic cadaver, inferum
Expers Deum, profanum et exequiis carens.
In quae potestas nulla tibi, nec est Deis
Data superis; violenter haec sed tu facis.
De mortuis lex est: homo ne feceris
Male mortuis. nam quipiam si feceris,
Damno, scias, quod maximo mulctabere.
Ob haec tibi insidias struunt in posterum
Plutonis ultrices Deumque Erinnyses,
Ipsis in hisce ut comprehendendaris malis.
Et haec vide, corruptus an pecunia
Dicam, idque monstrabit brevi post tempore
Matrum et virorum luctus aedibus in tuis. 1425
Tu nunc ad aedes nos reducito, puer,
Vt hic furorem in iuniores evomat
Discatque linguam, quae sit, alere, modestior,
Animumque meliorem gerere, quam nunc gerit.
Civ. Rex, vir abiit, atrocia ubi vaticinatus est. 1435
Nos scimus autem, ex quo hunc capillum ego candidum
Gero ex nigro, mendacium illum civibus
Dixisse nunquam.
- Cre. novi et ipse menteque
Perturbor admodum. grave est nam cedere.
Porro resistentem amplius damno affici
Praesto est atroci in re. 1440
- Civ. bono, o Menoecei
Fili Creon, consilio opus res haec habet.
- Cre. Quid ergo faciendum? indica, parebo enim.
- Civ. Abi et puellam mitte defosso e specu
Tumulumque projecto para cadaveri. 1445
- Cre. Haeccine probas, quaeso; utque cedam, consulis?
- Civ. Et quam celerrime quidem, o rex. nam cito
Velox Deorum multa concidit malos.

- Cre. Heu, vix quidem muto sententiam,
Vti faciam. sed cum necessitate non
Pugnare convenit. 1450
- Civ. ipse vade et fac neque
Committito aliis.
- Cre. sic eo e vestigio.
Et vos, ministri, quiqe adestis quiqe non,
Capite secures manibus atque pergit.

Scena secunda

Haemon, Eurydice

- Haem. Post ista vero primus auxilium mihi
Fer, Iuppiter; te ferre nempe convenit.
Non adeo magnum munus a te postulo,
Vt assequar. submitte nobis nuncium
Aliquem, malam hanc de caede famam qui ferat
Viro, ipse longe primus hinc me ut auferat, 1455
Simul ac in ensem incubuero imbutum recens.
Terrestrem at invoco simul Cyllenium,
Animas qui ad infernas solet deducere
Sedes, soporem iniiciat ut mihi bonum,
Saltu simul cum immobili atque praepeti
Hoc improbo mucrone rumpenti latus. 1460
- Eury. Quique omnia vides, tu quoque in celso polo,
O Phoebe, qui curru veheris interdiu,
Aedes mei quando mariti videris,
Paulisper aureas habenas continens,
Has calamitates et meam hanc tristem necem 1465
Seni marito nuncia infaustissimo.
Opus est sed aggredi ocyus negocium.
Nunc mors veni; nunc, quaeso, mors me visita;
Porro te et illic, cohabitans tibi, alloquar. 1470
1475

Scena tertia

Nuncius, Cives

- | | | |
|------|---|------|
| Nun. | Cadmi incolae civesque clari Amphionis,
Non est, quod unquam vitam hominis aut laudibus
Tollam aut reprehendam, qualis illa cumque sit. | |
| Civ. | Quid rursus adfers hos dolores principum? | |
| Nun. | Dicam brevibus. emortui sunt; caeterum
Fuere causa mortis, qui in vivis agunt. | 1480 |
| Civ. | Et quis peremit, ede, quisque peremptus est? | |
| Nun. | Haemon periit, ipsius occisus manu;
Sese peremit ipsus, iratus patri
Necatam ob Antigonem et inclusam specu. | 1485 |
| Civ. | Progredere et hunc mihi intuere nuncium,
Quae verba spargat. nam cutem novacula
Iam radit, ut gaudere nemo possiet. | |

Scena quarta

Creon, Nuncius, <Cives>

- | | | |
|------|---|------|
| Cre. | Sed rursus, age, sermonem eundem dicio. | |
| Nun. | Ingens adest tibi gemendi copia.
Nam gnatus iratus tibi, miser sibi
Ensem manu extensa in latus medium impulit.
Et uxor, o Creon, tua est iam mortua.
Ex simplicibus an non duplicita haec sunt mala? | 1490 |
| Cre. | O stulti animi noxae solidae,
Lethales. o qui conspicitis
Occisores atque occisos
Cognatos. o infausta mea
Consilia. o fili adhuc iuvenis
Cum iuvene - hei, hei, hei! - mortuus es
Defuncta. non tua, sed mea te
Perdidit inconsulta temeritas.
Agnosco miser; capitulo meo
Deus immensum hoc onus imponens
Percussit me inque vias prorsum
Impulit atroces, laetitiam | 1495 |
| | | 1500 |
| | | 1505 |

Calcibus evertens conceptam.
 Heu heu! o plerumque labores
 Hominum plane infortunatos!
 Cur non aliquis lethale mihi
 Adversumque infligit vulnus
 Gladio ancipi? miserum me! heu heu,
 Miseris sum casibus immistus.
 Abducite me procul hinc, aio,
 Qui mage plane haud sum quam ullus. 1510
 O gnate, qui te non volens
 Occidi, et uxor, te quoque,
 Hei hei miserrimo mihi!
 Non habeo, mea quo lumina
 Vertam atque quo me conferam. 1515
 1520

Scena quinta

Chorus Civium

Civ. Recte sapere primum obtinet
 Locum ad beatitudinem.
 Oportet autem et in Deos
 Nihil impium delinquere.
 Nam grandia arrogantium
 Dum dicta, plagas invicem 1525
 Grandes rependerunt suis
 Autoribus vel ultima in
 Aetate docuere impios
 Sapere pie et submissius. 1530

Finis

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1596 mit dem Titelzusatz „e diversis transcripta autoribus, Naogeorgi Sophocle, Euripide et Seneca. Et acta in inclita Noribergensium Academia Altorfina.“ Das einzige Exemplar, das ich bislang nachweisen konnte, befindet sich in der Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel; für die Unterstützung, die ich von den freundlichen Mitarbeitern dort erfahren durfte, bin ich sehr dankbar.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktions wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *ss* für *ß*. Groß geschrieben wurde: *Deus*, *Dei* u.ä. (A5, 45, 55, 99, 112, 159, 212, 243, 418, 426, 428, 458, 490, 528, 536, 556, 564, 610, 613, 630, 660, 718, 760, 764, 812, 874, 882, 904, 911, 917, 939, 946, 1146, 1149, 1154, 1322, 1356, 1358, 1419, 1420, 1426, 1448, 1523) sowie bei den Darstellern 1,4 *Civium*; klein dagegen: *civitas* (357), *rex* (923, 1130, 1447), *tyrannis* (1196). Einheitlich verwendet wurde *caecus* statt *coecus* (288), *cepit* statt *caepit* (1400), *poena* statt *paena* (1154), *quodsi* statt *quod si* (1388), *repperi* statt *reperi* (465), *sepulchr-* statt *sepulcr-* (A21). Ohne Abstand gedruckt wurde enklitisches *-ne* (123, 124, 331, 430, 505, 513, 516, 533, 611, 1187, 1219, 1388), *-nam* (402, 407, 438, 1160).

Als Sprecher ergänzt wurde 127 *Oed.*, 129 *Cre.*; im Darstellerverzeichnis wurde ergänzt *cum puelo*, zu Szenenbeginn 1,2 *Cives*, 1,3 *Cives*, 1,6 *Cives*, *cum puelo*, 3,1 *Iocasta*, 3,2 *Cives*, 6,3 *Cives*, 6,4 *Cives*, 6,5 *Cives*, 7,1 *cum puelo*, 7,4 *Cives*, 7,5 *Chorus Civium* statt *Cives*; gestrichen 1,2 *Creon*; in anderer Reihenfolge 5,4 *EIPAC* statt *EACIP*; 7,2 *Haemon* statt *Haeman*.

54	<i>aliquam</i> statt <i>aliquaum</i>
62	<i>priorem</i> statt <i>priore</i>
69	<i>sic</i> statt <i>sie</i>
98	<i>ut possit</i> ans Ende von 1,2 verschoben
99	<i>Menocei</i> statt <i>Menoeei</i>
179	<i>obtinebis</i> statt <i>obsinebis</i>
189	<i>at</i> statt <i>ad</i>
262	<i>facillime</i> statt <i>facilime</i>
294	<i>patris</i> statt <i>papris</i>
354	<i>morire</i> statt <i>morite</i>
420	<i>reliquit</i> statt <i>reliquid</i>
430	<i>commercio</i> statt <i>commertio</i>
521	<i>corrigas</i> statt <i>corigas</i>
555	<i>peractum</i> statt <i>per actum</i>
741	Fehlen des Versanfangs vermutet
779	<i>oculos</i> statt <i>oculus</i>
788	<i>verenda</i> statt <i>veranda</i>
791	<i>oppositu</i> statt <i>appositu</i>
848	<i>paulisper</i> statt <i>paulis per</i>
975	<i>membra</i> statt <i>mebra</i>
979	<i>proinde</i> statt <i>poinde</i>
1047	<i>plane</i> statt <i>plana</i>
1058	<i>soror</i> statt <i>saror</i>
1277	<i>civibus</i> statt <i>cibus</i>
1387	<i>proclive</i> statt <i>procilde</i>

‘Komma’ gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: A21, 8, 9, 11, 15, 22, 22, 28, 42, 45, 71, 72, 79, 80, 83, 89, 90, 93, 104, 108, 110, 127, 138, 140, 169, 171, 179, 180, 185, 197, 198, 199, 206, 206, 214, 217, 220, 223, 231, 250, 250, 252, 264, 270, 278, 284, 285, 289, 290, 293, 307, 309, 310, 323, 329, 346, 367, 368, 380, 421, 463, 470, 479, 479, 482, 506, 507, 522, 529 *ocetus*, 535, 539, 571, 572, 575, 576, 581, 582, 582, 583, 589, 592, 596, 596, 616, 620, 621, 626, 635, 661, 666, 670, 678, 686, 692, 700, 706, 707, 713, 716, 716, 718, 718, 724, 728, 731, 737, 742, 745, 747, 747, 750, 752, 756, 760, 789, 790, 801, 804, 805, 812, 812, 818, 828, 831, 832, 833, 847, 855, 858, 889, 904, 914, 916, 924, 931, 939, 945, 945, 952, 955, 970, 975, 979, 992, 1004, 1014, 1025, 1028, 1029, 1041, 1045, 1058, 1060, 1068, 1074, 1085, 1092, 1102, 1126, 1137, 1137, 1140, 1140, 1151, 1154, 1169, 1180, 1183, 1187, 1211, 1232, 1243, 1243, 1246, 1260, 1261, 1269, 1273, 1283, 1285, 1297, 1301, 1311, 1327, 1327, 1332, 1334, 1362, 1363, 1371, 1374, 1378, 1390, 1392, 1397, 1400, 1404, 1406, 1416, 1426, 1432, 1438, 1444, 1444, 1451, 1451, 1453, 1454, 1471, 1476, 1478, 1505, 1515, 1520, 1528

'Komma' gestrichen nach: A10 *certamine*, A12 *inde*, A25 *iugulat*, A27 *Eurydice*, 42 *istae*, 44 *cladibus*, 46 *hanc*, 55 *Dei*, 100 *enim*, 106 *praecipit*, 134 *nos*, 138 *probe*, 174 *paean*, 259 *heu*, 285 *tua*, 291 *scilicet*, 325 *mea*, 362 *laborante*, 379 *disce*, 432 *quamlibet*, 557 *placatus*, 562 *thalamis*, 567 *lumina*, 621 *faucibus*, 623 *acerbum*, 633 *vestri*, 734 *patris*, 745 *vices*, 759 *usitato*, 781 *et*, 864 *parum*, 871 *iustissime*, 890 *honeste*, 896 *causa*, 940 *quod*, 993 *occupat*, 1008 *fili*, 1104 *cor*, 1114 *consilia*, 1117 *scias*, 1145 *Iuppiter*, 1169 *approbe*, 1183 *sororque*, 1304 *virum*, 1389 *prosit*, 1411 *amicis*, 1411 *adhuc*, 1412 *mortuorum*, 1412 *viva*, 1440 *amplius*, 1455 *vero*, 1484 *patri*, 1511 *vulnus*, 1518 *hei*, 1529 *impios*

'Komma' ergänzt: A2 *en*, A3, A3, A9 *Polynices*, 2 *lues*, 16, 32 *ut*, 38, 52 *caput*, 61, 66, 66, 75 *optime*, 77 *est*, 89 *sciscitetur*, 120, 121, 122, 123, 124 *-ne*, 138, 143, 145 *igitur*, 147 *surgite*, 152 *Apollo*, 159 *nunc*, 159 *Dei*, 175, 184 *iubeo*, 187, 192 *quispiam*, 194 *audite*, 204, 204, 211 *qui*, 211 *loquor*, 220, 221 *Apolline*, 224, 232, 242 *est*, 257, 258, 266 *proinde*, 279, 291, 298 *scies*, 301, 306, 331, 339, 345 *ut*, 355, 359, 359, 360, 360, 364, 364, 369, 369, 376, 387 *coniunx*, 387 *dicas*, 393, 396, 398 *heu*, 399, 399, 406 *licebit*, 408 *magis*, 408 *tyrannus*, 410 *haec*, 411, 412, 413 *sermo*, 416, 417, 417, 418, 425, 425, 441, 449, 449, 457, 457, 469, 477, 479, 481 *eum*, 492, 496 *volet*, 498, 503 *Laii*, 504, 504, 504, 505 *quidem*, 516 *modo*, 519 *hic*, 519 *amice*, 521, 521, 523, 523, 525 *dicit*, 530, 536, 540, 543 *uxor*, 545, 549, 559, 559, 563, 570, 572 *vel*, 577 *cur*, 577 *rogo*, 598 *qui*, 598 *petis*, 605 *siem*, 616 *paterque*, 630, 635 *ea*, 636 *prognatus*, 638, 648, 651, 651, 652, 656, 658, 662 *levamen*, 665, 666 *quaero*, 672, 672, 680 *prohibeas*, 680 *genitor*, 701, 708 *et*, 714 *virtus*, 714 *pater*, 721 *nulla*, 721 *genitor*, 736 *scio*, 743, 754 *agite*, 757, 770 *perge*, 773 *bellum*, 774, 777 *timeo*, 781 *dextera*, 783, 786 *vereor*, 787 *quae*, 788, 792, 796, 796, 803 *indolens*, 806, 813, 820, 820, 823 *erit*, 825 *mater*, 826, 826, 848, 848, 855, 855, 856, 856, 859 *meminisse*, 904, 924, 925, 925, 926 *eas*, 928 *proin*, 930, 930, 937, 937, 940, 943 *quid*, 943 *urbs*, 943 *me*, 944, 947 *scio*, 950, 952, 954, 954, 954, 970, 970, 982, 985, 985, 985 *mater*, 990, 994, 994, 994, 994, 1002, 1002, 1006, 1006, 1006, 1006, 1008, 1008, 1008, 1010, 1011, 1011, 1036, 1038, 1039, 1040, 1048, 1049 *sepelias*, 1061 *quid*, 1070, 1071, 1072, 1072, 1073, 1074 *regiam*, 1075, 1075, 1075, 1083, 1086, 1086, 1086, 1090 *illo* (vgl. 1058), 1098 *hoc*, 1098 *quae*, 1101, 1102, 1108, 1123, 1126, 1127, 1130 *voles*, 1135 *ais*, 1146, 1210 *moriar*, 1210 *vetans*, 1232, 1248 *igitur*, 1267, 1273, 1273, 1278, 1289, 1305 *commode*, 1311, 1318, 1318, 1328, 1333 *me*, 1360, 1408 *quia*, 1424, 1424, 1431 *reducito*, 1441, 1442, 1446, 1446, 1449 *heu*, 1453 *vos*, 1456, 1467, 1467, 1469, 1474, 1474, 1477, 1489, 1489, 1493, 1493, 1514 *hinc*, 1517 *uxor*, 1519, 1526

'Komma' statt 'Punkt': 7, 159 *pepulistis*, 243, 246, 283, 741, 922 *via*, 1020, 1032, 1415

'Komma' statt 'Doppelpunkt': A11, 79, 213 *liberos*, 248, 307, 320, 552, 692, 717, 751, 755, 762 *cuncta*, 775, 827, 1017, 1042, 1059, 1069, 1098 *nemini*, 1147, 1249 *eiicito*, 1279, 1357 *op-petat*, 1400, 1405, 1476

'Komma' statt 'Strichpunkt': 1182, 1303 *dico*

'Komma' statt 'Fragezeichen': 328 *meas*, 691 *fortuna*

'Komma' statt 'Klammer': 358 *quoque*, 358 *scias*, 565 *Apollo*, 565 *amici*, 1068, 1082, 1082, 1238, 1270 *hominibus*, 1270 *pater*, 1336, 1336, 1391, 1391

'Punkt' gestrichen: 97 *quam*, 422 *charissimum*, 520 *loqui*, 617 *scilicet*, 1322 *Deum*, 1324 *neuti-quam*, 1521 *obtinet*

'Punkt' ergänzt: 441, 668, 958, 1047 *iuste*, 1132

'Punkt' statt 'Doppelpunkt': 14, 84, 305, 315, 556, 558, 674, 680, 682, 683, 693, 707, 714, 723, 739, 752, 765, 778, 831, 838, 843, 848, 888, 899, 935 *eo*, 960, 966, 977, 981, 983, 1164, 1238, 1279, 1336

'Punkt' statt 'Komma': 241, 354 *minime*, 491 *est*, 701, 926

'Punkt' statt 'Fragezeichen': 33

'Strichpunkt' ergänzt: 1009

'Strichpunkt' statt 'Punkt': A25, 143, 153, 164, 199, 293, 732, 736, 799, 849, 873, 898, 921, 974, 1046, 1052, 1170, 1175, 1218, 1273, 1340, 1394, 1503

'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': A16, 10, 13, 48, 71, 82, 103, 122, 148, 225, 228, 236, 261, 308, 310, 332, 343, 420, 425, 483, 532, 553, 608, 631, 637, 644, 652, 677, 688, 706, 709, 752, 761, 771, 780, 789, 826, 829, 838, 847, 853, 863, 907, 953, 963, 978, 980, 982, 991, 1021, 1026, 1078, 1137, 1161, 1197, 1207, 1212, 1355, 1364, 1398, 1417, 1421, 1456, 1474 *visita*, 1483

'Strichpunkt' statt 'Komma': 1, 18, 160, 301, 359, 369, 374, 410, 525, 536, 555, 665, 784, 793, 937, 944, 987, 1088, 1099, 1118, 1165, 1267, 1344, 1446, 1474 *veni*, 1480

'Strichpunkt' statt 'Klammer': 1068

'Doppelpunkt' gestrichen: 62 *promptitudinem*, 599 *faciet*, 911 *Deos*, 1121 *voco*, 1332 *improbum*

'Doppelpunkt' ergänzt: 841

'Doppelpunkt' statt 'Punkt': 161, 242, 335, 1141

'Doppelpunkt' statt 'Komma': 11, 70, 247, 288, 788, 825

'Fragezeichen' ergänzt: 414, 690

'Fragezeichen' statt 'Punkt': 280, 330, 395, 399, 512, 1066, 1142, 1194, 1312, 1322, 1349

‘Ausrufezeichen’ ergänzt: 1072, 1500

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Punkt’: 61, 391, 492, 533, 602, 1009, 1012, 1014, 1223, 1396, 1508,
1509, 1512, 1518

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Komma’: 955

‘Gedankenstriche’ statt ‘Klammern’: 414, 498f., 1500

‘Klammer’ gestrichen vor: 1238 *idque*